



## **Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales**

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

**Chiericato, Giovanni Maria**

**Augustæ Vindelicorum, 1730**

Cap. CXX. De Confessione Sacramentali.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

Cum distinctione: vel loquimur de peccatis mortalibus, & contritio, aut saltem attritio debet esse generalis, & universalis de omnibus, quia impium est à Deo iusto dimidiam sperare salutem. D. August. apud S. Thom. 3. part. qu. 84. art. 3. Vel intelligimus de peccatis venialibus, & sufficit particularis attritio de quibusdam, quia non sunt materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ. Candid. ubi supra art. 4. num. 4. ubi tamen excipit etiam in mortalibus, quando particularis tantum attritio eliceretur ex ignorantia inculpabili, quemadmodum excipitur, & salvatur Confessio, quæ non sit integra ob inculpabilem oblivionem.

7. *Quer.* In quo differant inter se Contritio, & Attritio? *Resp.* Differunt circa obiectum, quia Contritio dolet ob offensam Dei. Attritio ob metum inferni; illa remittit peccata cum solo Sacramento in voto, hæc tantum in re. S. Thom. 3. part. qu. 86. art. 2. Candid. *dict. disp.* 31. art. 7. Decisiones meæ de Pœnitent. *Decis.* 14. num. 8.

8. *Quer.* An contritio omnium mortalium includat dolorem etiam venialium; & è contra contritio venialium debeat se extendere etiam ad mortalia? *Resp.* Contritionem omnium mortalium posse stare sine dolore venialium, quia sine his illa remitti possunt. At dari non posse utilem contritionem venialium, quæ non se extendat etiam ad mortalia; nam sine mortalium remissione, neque venialia remittuntur. S. Thom. *ibid.* d. 3. par. qu. 87. art. 4. ad 2.

9. *Quer.* An contritio debeat esse de singulis peccatis particulariter, vel sufficiat universalis de omnibus? *Resp.* Quod sufficit universalis; licet laudabile, & optimum sit in particulari, saltem de quacunque specie peccati, dolere, Candid. *ubi supra art.* 6.

10. *Quer.* An contritio sit necessaria necessitate mediæ, & præcepti ad salutem? *Resp.* Affirmative extra Sacramentum Pœnitentiæ, etiam si quis esset moriturus pro Christo; nam si peccata mortalia commisisset, & ea confiteri non posset, teneretur elicere actum contritionis ad consequendam æternam salutem; nam illa non daretur sine contritione per solum martyrium. Candid. *dict. art.* 7. num. 7. Quamvis contrarium esse verius ego ostendi in meis Decisionibus de Baptismo Mense Februario qu. 4. Conditione 5. ubi DD. & docui in tractatu de Pœnitentia *Decis.* 13. num. 14.

11. *Quer.* Quo tempore obliget Præceptum Contritionis? *Resp.* Quod obligat in periculo mortis, si desit Confessarius, ac in periculo perpetuæ amentię; prout etiam si quis verteretur in periculo committendi novum mortale, ad illud facilius evitandum; quamvis si in hoc casu non eliciat contritionis actum de peccato mortali præterito, & trahatur in novum mortale, non duo peccata nova committit, sed unum tantum. Tandem obligat Præceptum Contritionis, ubi quis debet administrare Sacramenta. Candid. *d. Disquisit.* 31. art. 8. ubi in fine notat, quod quis non tenetur statim conteri post commissum mortale, neque in die festo, quia de hoc nullum extat positivum præceptum. At de his vi-

*Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.*

deantur meæ Decisiones de Pœnitentia *Decis.* XI. per totam.

12. *Quer.* Ad hoc ut contritio sit valida, an sit necessarium examen conscientię sicut in Confessione? *Resp.* Negative, quia sufficit talis qualis confusa commissarum culparum recordatio, de quibus doleat; nam soli Deo dirigitur, qui intelligit cordis intima, quod est diversum in confessione, quæ cum fiat Sacerdoti; habet necessariam integram expositionem peccatorum prævio examine factam, ad ferendum suum Iudicium. S. Thom. 3. part. in *Addit. qu.* 1. art. 3. ad 2. Candid. *ubi supra art.* 8. num. 2.

13. *Quer.* An contritio ad sui valorem requirat durationem temporis? *Resp.* Negative; quia peccatum fit in instanti; & sic in instanti destrui potest per merum actum contritionis. S. Thomas 3. part. *quest.* 80. art. 2. Candid. *ubi supra art.* 11. num. 5.

14. *Quer.* An homo possit justificari sine aliquo contritionis actu? *Resp.* Negative, nisi ex absoluta potentia Dei. Concil. Trident. *sess.* 6. cap. 6. & 7. S. Thom. 3. part. *quest.* 86. art. 2.

## CAPUT CXX.

### De Confessione Sacramentali.

1. *Quer.* Quid sit Sacramentalis Confessio?

*Resp.* Est legitima, & Sacramentalis accusatio de propriis peccatis, facta Sacerdoti; ad obtinendam remissionem peccatorum per absolutionem. Candid. *disquis.* 28. art. 1. Si studiosus plenior definitionem desideret, videat meam Decisionem XV. de Pœnitentia num. 10.

2. *Quer.* An positus in periculo mortis, non habens copiam confessarii, possit peccata sua laico confiteri? *Resp.* Negative, quo ad finem obtinendi Sacramentalem absolutionem; imò, si laicus eam dare præsumeret, efficeretur irregularis. cap. Si quis. De Cleric. non Ord. Ministr. Concil. Trident. *sess.* 14. cap. 6. Affirmative verò responderi potest quo ad maiorem contritionem acquirendam per illum humilitatis actum, ex quo demonstrat, se dispositum ad Sacramenta suscipienda. Candid. *ubi supra d. disquis.* 28. art. 1. num. 4. Ego de Pœnit. *Decis.* XVIII.

3. *Quer.* Quanam sit materia Sacramentalis Confessionis? *Resp.* Esse actus pœnitentis, qui consistunt in dolore pro peccatis, in accusatione voluntaria sui ipsius de eisdem, & in satisfactione pro ipsis. Concil. Trid. *sess.* 14. cap. 3. Candid. *ibid.* art. 2. num. 2. & 3. Ubi advertit, supradictos actus esse materiam proximam Pœnitentiæ Sacramenti; remota verò esse ipsamet peccata. Ego ipse de Pœnit. *Decis.* 13.

4. *Quer.* An omnes prædicti actus pœnitentis sint partes essentielles Sacramenti Pœnitentiæ? *Resp.* Contritionem, & Confessionem esse partes essentielles; Satisfactionem verò esse partem integram. S. Thom. 3. part. qu. 84. art. 2.

5. *Quer.* Quid, & quotuplex sit peccatum? *Resp.* Peccatum est recessus à lege Divina voluntaria-

luntarius. Est autem triplex. Originale, Mortale, & Veniale. S. Thom. 1. 2. qu. 88. art. 2. Peccatum originale, ac actuale ante Baptismum non est materia sufficiens Sacramenti Confessionis; quia Confessio est instituta à Christo ad reconciliandos fideles lapsos post baptismum, qui tunc subijciuntur Jurisdictioni Ecclesiae. Concil. Trid. sess. 14. cap. 2. Mortalia commissa post baptismum sunt materia necessaria Sacramenti. Venialia verò sunt materia sufficiens. S. Thom. 3. part. qu. 84. art. 2. & 6. Supradicta mea Decis. XIII. de Penitentia.

6. *Quer.* An peccata mortalia jam per confessionem dimissa, siue venialia possint esse materia sufficiens pro nova confessione? *Resp.* Affirmative, dummodo denud homo se accuset de illis cum novo dolore; tunc enim potest iterum ei absolutio dari, quæ non est frustratoria; nam etsi peccata illa verè jam fuerunt remissa, nihilominus de præseati confert augmentum gratiæ, & remissionem partis poenæ virtute Sacramenti, & ex opere operato. S. Thom. in 4. dist. 18. qu. 1. art. 3. Candid. *disquisit.* 29. art. 1. num. 7. ubi laudat generalem Confessionem de præteritis; subdens, quòd in illa potest homo se accusare de nonnullis peccatis, & de aliis non, si ita velit; quia non est dimidiare confessionem, cum peccata jam dimissa sint materia sufficiens, non autem necessaria; quòd etiam procedit in venialibus. Quomodo autem possint denud remitti peccata, quæ antea fuerunt dimissa per confessionem, latè demonstravi de Penitentia, Decis. 35. à num. 8. & seqq.

7. *Quer.* An qui sola venialia habet, teneatur semel in anno confiteri? *Resp.* Doctores negativam opinionem tenere, quod diximus etiam supra circa tertium Præceptum Ecclesiae. Porro Candidus ubi ante *disquisit.* 29. art. 2. monet, teneri ad se præsentandum Confessario, antequam communionem Paschalem accipiat, & dicere, se non habere conscientiam peccati mortalis. Vide de Penitent. Decis. 33.

8. *Quer.* An qui sola peccata venialia habet, possit ea confiteri absque dolore? *Resp.* Negative, idè, si non doleret saltem de uno, peccaret mortaliter, quia redderet scienter Sacramentum nullum, cum absque dolore, & detestatione peccati esse non possit. Candid. *dict.* art. 2. num. 3. & d. mea Decis. 33. de Penitentia.

9. *Quer.* Quinam sint effectus peccati? *Resp.* Duo sunt, culpa, & poena. Culpa est inimicitia cum Deo ob amissionem gratiæ divinæ. Poena est duplex. Alia damni, quæ consistit in privatione divinæ visionis. Alia sensus, quæ stat in punitione materiali, & hæc vel est perpetua, quæ plectuntur damnati in inferno; vel temporalis, cui additæ sunt animæ in Purgatorio. Candid. *d. disquisit.* 29. art. 3. num. 9.

10. *Quer.* An peccata dimissa per Sacramentalem Confessionem reviviscant, si homo incidat in nova peccata? *Resp.* Negative, si verè, & propriè loquamur; at secundum quid dicuntur reviviscere in aliquo modo, um quia iterum homo evadit inimicus Dei

ob culpam, sicut erat ante primam confessionem; tum etiam quia, si pro dimissis peccatis non fecisset integram satisfactionem, erit torquendus etiam pro illis in inferno, casu quo decedat absque nova poenitentia. S. Thom. 1. 2. *quest.* 87. art. 5. ad 2. Candid. ubi supra art. 5. num. 4.

11. *Quer.* Quot, & quantas qualitates debeat habere Confessio Sacramentalis, ut sit valida? *Resp.* Quatuor, nempe, ut sit diligens, integra, fidelis, & obediens. DD. Communiter, & Toletus lib. 3. cap. 7. Ego de Penit. Decis. 15. num. 32.

12. *Quer.* Quenam diligentia sit necessaria in Confessione? *Resp.* Ut Poenitens præmittat examen suæ conscientiæ; ad hoc ut possit invenire peccata commissa, & ea confiteri. Toletus *ibid.* & Coton. lib. 2. Controv. 6. num. 46. ubi ex Scoto dicit, tantum examen requiri, quantum posset aliquis adhibere circa aliquam rem arduam, quæ multum sibi esset cordi. Sed de hoc quasito ne deleat legere meam Decis. XXI. de Penitentia.

13. *Quer.* Quomodo cognosci possit, an sufficiens examen adhibitum sit? *Resp.* Diam part. 2. tract. 17. *resol.* 31. docuisse regulam, nempe si facta confessione, occurrant memoriæ plura peccata oblita, non confessa, examen reputari insufficiens, si verò pauciora sufficiens. Porro, hæc regula nimis laxa videtur Coton. ubi supra num. 48. ubi firmat, id remittendum esse conscientiæ uniuscujusque, spectata eorum memoria, & longitudine temporis examinandi, ut in d. Decis. 21.

14. *Quer.* An homo, qui raro confitetur, teneatur peccata sua scribere ad juvandam memoriam? *Resp.* Affirmare Bonacinam, negare Vasquez, ut videre est apud Coton. ubi ante num. 49. qui concordando illos dicit, affirmandum esse ex consilio; negandum de præcepto.

15. *Quer.* An qui præmisit examen insufficiens, credens illud sufficiens, sit valide confessus? *Resp.* Cum distinctione, aut putavit sufficiens invincibiliter, & erit valide confessus; ita, ut iterum confiteri non teneatur, nisi quæ oblitus est; aut vincibiliter, & tunc non censetur valide confessus; & tenebitur repetere confessionem antea factam. Coton. *ibid.* num. 50.

16. *Quer.* Quæ integritas requiratur in confessione? *Resp.* Ut explicentur distinctè omnia peccata mortalia quo ad speciem, & quo ad numerum; non quidem omnino exactè, sed quantum possibile est homini post medietatem diligentiam, secundum capacitatem uniuscujusque, ne Sacramentum odiosum reddatur. Coton. *d. lib.* 2. Controv. 6. num. 13. Ubi subdit, quòd qui non potest species omnes, & numerum culparum exponere, vel ob eorum multitudines, ut in meretricibus, vel ob temporis diuturnitatem; satis erit, si se accusent, tanto tempore stitisse in prostitutione, vel in continua habitudine peccandi; quod docet etiam Canus De Penit. par. 5. S. Colligo. Et Diana part. 5. tract. 4. *resol.* 89. & pro regula est, ubi certa notitia non possit haberi de numero, ut explicetur verosimilior, addendo, Plus, minusve.

17. *Quer.*

17. *Quer.* Quousque possit se extendere illa clausula, seu cautela *Plus minusve*? *Resp.* Ordinariè loquendo ad duo, vel tria, infra, vel supra numerum expressum. Sancius *disp. 2. select. num. 13.* Quamvis magis verum sit, id relinqui arbitrio prudentis viri juxta qualitatem, & naturam subjæctæ materiæ ex l. *Hæc adjectio. ff. de Verbor. Significat.* & idcò si numerus principalis sit magnus; latius potest intelligi dicta cautela *Plus minusve*; strictius autem, si numerus expressus sit angustior. Coton. pluribus citatis. *dict. contr. 6. num. 16. 17. & 18.*

18. *Quer.* Si postea recordetur numerum certum qui confessus est cum dicta cautela *plus, minusve*, teneatur iterum illum exprimere, aut saltem excessum, vel defectum numeri, de quo recordatur? *Resp.* Circa defectum non teneri, quia *plus* ex cautela confessus, sibi soli præjudicavit; circa verò excessum, non teneri, quando excessus non esset nimis magnus; vel quando inspecta qualitate pœnitentis, & prudentia Confessarii, probabile est, intellexisse etiam dictum excessum, & eum in absolutione comprehendisse. Diana *part. 11. tract. 6. resol. 58.* Coton. *ubi supra num. 19. 20. 21. & 22.* At de hoc, & præcedentibus quasiis lege meam *Decis. 24. de Pœnitentia.*

19. *Quer.* An teneatur confiteri peccata, qui est dubius circa illa? *Resp.* Quatuor esse posse dubietates, seu ambiguitates. Prima, An peccatum commissum sit? Secunda, An olim sit de illo confessus? Tertia, Cujus speciei fuerit peccatum? Quarta, An fuerit mortale, vel veniale? Circa duas primas alii Doctores asserunt, alii negant, quòd qui dubius est, teneatur confiteri. Diana *part. 10. tract. 12. resol. 2.* Circa tertiam debeat confiteri in genere. Circa quartam debet exprimere quod sibi magis probabile putat. Coton. *ibidem num. 23.*

20. *Quer.* An, qui confessus est peccatum dubium, cum de eo esset in dubio, teneatur iterum illud confiteri ut certum, si de eodem certus fiat? *Resp.* Quòd licet plures Doctores asserant teneri, ut videre est apud Dianam *part. 10. tract. 19. resol. 79.* Contrarium tamen docent moderni Doctores, quos allegat, & sequitur Coton. *dict. lib. 2. contr. 6. num. 24. & 25.*

21. *Quer.* An, qui confessus est peccatum in genere, teneatur illud confiteri in specie, cum de illa meminerit? *Resp.* Cum distinctione: vel species, quæ in memoriam venit, est species propria peccati, ut si quis peccatum carnis confessus est, sed non recordabatur, an cum libera, vel cum conjugata? & in hoc casu, tenetur confiteri in specie, quando eam propriè addiscit. Vel species prædicta respicit gravitatem: exempli gratia, quia prius nesciebat, an esset culpa mortalis, vel venialis, sed eam, prout capiebat, in genere confessus est; in hoc casu communis est Doctorum sententia, quòd non teneatur amplius confiteri. Diana *part. 4. tract. 3. resol. 5.* Coton. *ubi supra num. 27. & 28.*

22. *Quer.* An ad integritatem confessionis oporteat explicare circumstantias peccati?

*Resp.* Affirmativè quoad circumstantias mutantes speciem. Concil. Trident. *sess. 14. cap. 5. & can. 7.* Negativè quoad circumstantias aggravantes tantum intra eandem speciem. S. Thom. Scot. Duran. & alii, quos refert Diana *part. 5. tract. 14. resol. 56.* & Coton. *ubi ante num. 29. & 30.* Nisi forsan essent notabiliter aggravantes à parte objecti, id est, in re, in qua quis committit peccatum; tunc enim tutior est sententia, quòd sint explicandæ. Garz. *De Benef. part. 3. cap. 1. num. 143. & 144.* Et de hac opinione ego latè disputavi de *Pœnit. Decis. XXV.* quam studiosus legere non omittat.

23. *Quer.* Quæ sint circumstantiæ notabiliter aggravantes à parte objecti? *Resp.* Sunt sex præcipuæ. Prima, gradus consanguinitatis in incestu. Secunda, quantitas in furto, vel in injuria. Tertia, quando uno actu plures sunt occisi, vel infamati. Quarta, odium in Deum. Quinta, peccatum inter Confessarium, & Pœnitentem. Sexta, si peccatum habeat annexam censuram, vel reservationem, aut requiritur à Confessario pro bona directione pœnitentis. Busemb. *lib. 6. tract. 4. art. 1. num. 3.* Coton. *ubi supra num. 31.* ubi notat, Confessarium habere Jus interrogandi pœnitentem de his circumstantiis, & illas non posse occultari.

24. *Quer.* An pro integritate confessionis necesse sit, manifestare complicem peccati? *Resp.* Negativè; imò complex non est manifestandus, nisi in casibus, in quibus esset omninò denunciandus. Dian. *part. 6. tract. 7. resol. 2.* Coton. *num. 37.*

25. *Quer.* Si quis non possit confiteri circumstantiam mutantem speciem, nisi manifestando complicem notum Confessario, teneatur illum manifestare; e. g. si habuisset rem cum forore Confessarii? *Resp.* Quòd inter se altercantur Doctores, sed tutior est opinio, quòd nisi alius haberi possit Confessarius, teneatur Pœnitens manifestare complicem, quia pluris præponderat integritas confessionis, quàm complicitis fama. Tambur. *De expedita confessione lib. 2. cap. 9. §. 2. & Coton. ubi ante num. 36.* At quòd debeat potius dimidiare confessionem, & complicem non nominare, si de ejus gravi detrimento timeat, ego docui de *Pœnitentia Decis. 23. num. 14.* cum DD. ibi allegatis.

26. *Quer.* Quanto tempore Pœnitens debet expectare alium Confessarium, qui complicem notum non habeat? *Resp.* Non plus, quàm unum, vel alterum diem, cum periculosum sit perseverare in mortali; & per solam contritionem non ita facile sit exire de periculo. Coton. *ibid. num. 38.*

27. *Quer.* An complex possit manifestari pro circumstantia explicanda circa Peccatum veniale, vel aliàs confessum? *Resp.* Negativè secundum magis communem opinionem, quamvis aliqui moderni affirmant, eò quia, ajunt, pœnitens utitur Jure suo. Dian. *part. 11. tract. 4. resol. 41.* & Coton. *num. 40.*

28. *Quer.* An integritas confessionis necessaria sit in confessione generali, vel de peccatis aliàs confessis? *Resp.* Negativè, quia illa non sunt de necessitate confessionis, sed de suffi.

sufficiencia, & pro libito pœnitentis possunt explicari. Coton. num. 41.

29. *Quer.* An laudabile sit, accusare se de imperfectionibus moralibus, quæ non sunt verè peccata, quia non sunt de præcepto; puta, quòd corpus non maceraverit, quòd ad orationem quotidie mentalem non surrexerit faciendam, vel Deum, quantum potest, aut debet, non amaverit? *Resp.* Negativè. Sancius in *Select. disp.* 7. Porro affirmant communiter pii Doctores, quia id fit ad abundantiam, & cautelam, & ex hoc Confessarius magis cognoscit conscientiam pœnitentis. Coton. ubi ante num. 44. & 45. Diana part. 9. tract. 9. resol. 9.

30. *Quer.* In quibus casibus cesset obligatio integritatis confessionis? *Resp.* In pluribus casibus, quorum præcipui sunt sequentes: *Primo*, si pœnitens sit mutus, vel surdus, balbutiens, aut ignotæ linguæ. *Secundo*, si inter confitendum periculum sit, ne æger moriatur. *Tertio*, si periculum mortis immineat multis, ut in prælio, vel naufragio. *Quarto*, si peccatum sine aliquo gravi periculo revelari non possit. *Quinto*, si pœnitens habeat reservatam, & Confessarius ab illis absolventi non habeat facultatem, nam sola non reservata potest confiteri, quod secundum aliquos DD. procedit, sed non est verum secundum saniores doctrinam, quia integritas confessionis (præcisè necessitate Physica, vel moralis) est de Jure divino; & ideo est tenendum, quòd Pœnitentes sunt mittendi ad Superiorem, qui vel audiet totam confessionem, & absolvet illos, vel ablata reservatione remittet eosdem ad suum Confessarium, qui omnium peccatorum confessione audita eos absolvat. Eminentiss. Card. de Lauræa in 4. sentent. tom. 2. disput. 12. art. 8. *Sexto*, si pœnitens peste correptus sit, & Confessarius infici timeat longa auscultatione. Coton. ubi ante dict. lib. 2. contrav. 6. num. 52. ubi allegat Auctores sic docentes. De prædictis casibus ego disputavi de Pœnitent. decis. 23. à num. 7. & seqq. ubi vide.

31. *Quer.* An, quo casu non potest quis exprimere peccatum aliquod sine periculo, teneatur illud exprimere in genere? *Resp.* Affirmativè juxta magis communem opinionem, quam approbat pluribus citatis. Coton. ibid. num. 53. subdens, quòd si Confessarius interrogaret pœnitentem de specie illius peccati, posset respondere, quod non recordatur, intelligendo de notitia hic, & nunc utili ad confessionem absque periculo faciendam, quod monet etiam Cardin. de Lugo De Pœnitent. disp. 16. num. 531. Et ego dict. Decis. 23.

32. *Quer.* An Confessuro multa peccata mortalia, tacito uno ob periculum, satis sit attritio respectu omnium? An de tacito sit necessaria contritio? *Resp.* Sufficere attritionem generalem, etiam pro illo, sicut sufficit ad diluenda indirectè oblita. Card. de Lugo ubi ante num. 553. & Coton. num. 55. Contrarium tamen sustinet Card. de Lauræa ut in d. mea Decis. 23. num. 12. de Pœnit.

33. *Quer.* An, qui tacuit in confessione unum peccatum ob periculum, teneatur po-

stea statim, habita opportunitate, confiteri peccatum relictum? *Resp.* Scotum affirmare; sed plures DD. sentire contrarium, ita, ut sufficiat illud confiteri, quando urgeat nova obligatio confessionem faciendi; nam formaliter integra fuit confessio: & idem de dicto casu est judicandum, ac de peccatis ex defectu memoriæ oblitis. Dian. part. 9. tract. 9. resol. 19. Coton. ibid. num. 56. Contrarium est verius, ut in d. Decis. 23. num. 13.

34. *Quer.* Quomodo agendum esset à Confessario, si plures essent confessuri, & tempus non deserviret, puta in prælio, vel in naufragio? *Resp.* Posset indicare aliquod signum exterius pœnitentiæ, puta, tunctionem pectoris, vel genuflexionem, & eos omnes sic pœnitentes unica absolutione à peccatis absolvere, dicendo: *Ego vos absolvo* &c. Ita Diana part. 5. tract. 3. resol. 71. & Cotonius ubi supra n. 57. & 58. ubi notat, dicta signa fieri debere coram ipso Sacerdote, alias absolutio esset invalida ob Decretum Clementis Octavi de anno 1602. damnans eos, qui docebant, confessionem fieri posse absenti per litteras, vel internuncium; sub quo decreto comprehendendi potest etiam casus prædictus; quamvis excipiat casus infirmi dantis signa pœnitentiæ absente Confessario; nam eo superveniente, licet amplius ea facere non possit, est absolvendus. cap. Egrotantes, & cap. 8. de Consecrat. d. 4. & docet Rituale Romanum, ac Doctores, quos refert, & sequitur Coton. ibidem num. 60. & num. 66. ubi addit, in tali casu circa dicta indicia pœnitentiæ prædita credendum esse etiam uni testi de auditu, quia in jure, ubi non agitur de præjudicio tertii, creditur uni testi. Felin. in cap. Veniens il primo num. 8. de testib. & confirmat Diana part. 11. tract. 7. resol. 31.

35. *Quer.* An possit absolvi moribundus bonæ famæ, qui nulla signa dedit, vel dare potuit pœnitentiæ? *Resp.* Esse hinc inde opiniones Doctorum; & quidem affirmativa est magis pia, & fulcitur auctoritate multorum. Negativa videtur magis legalis, quia materia Sacramenti pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, quibus deficientibus absolutio dari non debet; & si datur, censetur nulla. Sancius in *Select. disp.* 44. num. 35. Henriq. lib. 3. de Pœnit. cap. 10. n. 6. Coton. ubi supra num. 68. Quia tamen num. 70. & 71. concludit, in praxi esse amplectendam opinionem affirmativam, sicque semper impendendam fore absolutionem, etiam hominibus malæ vitæ ex generali præsumptione, quòd quilibet fidelis in articulo mortis petat confessionem; Ideo absolvendus est sub conditione vel explicita, vel etiam mentali in confessario, si signa dedisti, vel si capax es absolutionis; ex Suar. & Diana ibi citatis.

36. *Quer.* Quid significet qualitas Fidelitatis servanda in confessione? *Resp.* Quòd pœnitens veritatem dicat, & non mentiar. Coton. contrav. 6. lib. 2. cap. 1. num. 3. Ego ipse de Pœnit. Decis. 29.

37. *Quer.* An quodlibet mendacium dictum in Confessione sit mortiferum? *Resp.* Negativè, quia si sit de re levi, vel de re non pertinente ad confessionem, censetur tantum veniale.

veniale. Tambur. *De Expedit. Confess. lib. 2. cap. 10. §. 2. num. 45.*

38. *Quer.* An peccaret mortaliter, qui se acularret tantum de uno peccato veniali, quod non fecisset? *Resp.* Magis communem opinionem esse affirmativam, quia magna est culpa reddere Sacramentum irritum ex proposito. *Diana part. 3. tract. 4. resol. 96.*

39. *Quer.* An sit mortale, mentiri in Confessione circa mortalia alias confessa? *Resp.* Negativè, si illa non habeat connexionem cum confessione presenti. Ceterum si aliquo modo connectantur, puta quia confessorius interrogaret ad cognoscendum, an poenitens habeat consuetudinem sic peccandi, ad hoc ut possit ei opportuna remedia dare, sentiunt Doctores, poenitentem mentiri non posse absque culpa mortali. *Jo. Pontius disp. 45. §. 4. num. 32. Diana part. 11. tract. 7. resol. 37. & Coton. d. lib. 2. Controv. 6. num. 9.*

40. *Quer.* An poenitens possit habere duos Confessarios, & uni prius confiteri peccata gravia, alteri verò levia ad servandam sui bonam opinionem apud illum? *Resp.* Affirmativè, neque posse in hoc ad lethalem culpam condemnari; nisi ex tali modo arriperet occasionem perseverandi in consuetudine peccati. *Dian. part. 3. tract. 4. resol. 132. Coton. ibid. num. 12. & Candid. disp. 32. art. 1. num. 6.*

41. *Quer.* Quid agendum, si Confessio facta fuerit sine integritate, vel sine fidelitate? *Resp.* Si ita facta sit ob malitiam, vel ob ignorantiam crassam, repetenda est confessio, & iterum facienda de omnibus peccatis, si verò absque malitia, vel ex ignorantia invincibili, sufficit confiteri peccatum omissum, vel circumstantiam non explicitam. *Coton. ubi ante num. 72. & 73. Ego ipse de Poenitent. Decis. 31.*

42. *Quer.* Ad quid teneatur poenitens, si cognoscat Confessarium ob somnum non audivisse sua peccata, vel aliquod peccatum; aut ob ignorantiam non pervenisse ad perfectam notitiam malitiæ, seu gravitatis peccati? *Resp.* In casu somni repetendam esse confessionem; in casu verò solius ignorantie, si poenitens bona fide confessus est, ad nihilum amplius teneri ex magis communi Doctorum opinione. *Diana part. 11. tract. 4. resol. 10. Coton. ubi ante num. 73. & dict. mea Decis. 31.*

43. *Quer.* Qualem obligationem habeat poenitens, qui omisit in Confessione mortale peccatum, credens vel non esse mortale, vel non esse confitendum? *Resp.* Si id egit bona fide, & ignorantia inculpabili, non teneri, nisi ad illud peccatum confitendum; quod si secus egerit, totam confessionem repetere debere. *Coton. ibid. num. 74. 75. & 76. qui num. 77. subdit, quod si poenitens sit in dubio, an tacuerit bona fide, vel ex malitia, tutius esse, ut repetat totam confessionem, quia in dubio standum est pro præcepto integritatis; & fidelitatis in confessione.*

44. *Quer.* An sint repetendæ etiam Confessiones posteriores rite factæ post illam primam male factam? *Resp.* Negativè, si has

bona fide fecerit; secus si cum conscientia erronea, & stimulo malæ confessionis præcedentis. *Diana part. 11. tract. 6. resol. 58. Coton. num. 78. dict. mea Decisio 31. de Poenitent. omnino videnda.*

## CAPUT CXXI.

### De Ministro Sacramenti Poenitentiae.

1. *Quer.* Quis possit absolvere à peccatis, vel sit verus Minister Sacramenti Poenitentiae? *Resp.* Sacerdos, qui Parochiale beneficium obtinet, vel facultatem audiendi confessiones obtinuit ab Episcopo, vel à Papa. *Concil. Trident. sess. 23. cap. 15.*

2. *Quer.* Cur non omnis Sacerdos possit validè absolvere, si in ejus ordinatione datur ei à Deo immediate facultas absolvendi per illa verba: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum dimiseris peccata, remittuntur eis &c.*? *Resp.* Quia illa potestas, quamvis jure divino tradita, non potest exerceri, nisi in subditos, eò quia absolutio per modum iudicii conferenda est, & iudicium in non subditos non exercetur. *Conc. Trident. d. sess. 14. cap. 7. & quamvis DD. insudent in explicanda hac questione, veritas ita est; & termini, quibus Doctores utuntur, sunt sequentes: nempe quod in ordine datur à Deo Sacerdoti jurisdictio habitualis, potestas verò ab Ecclesia actualis; vel quod à Deo datur potestas remota; ab Ecclesia verò proxima; vel quod in ordinatione datur jurisdictio, sed suspensa, donec ab Ecclesia deputentur subditi, in quos exercetur sicut ille, qui lauream Doctoratus assequitur, obtinet jus iudicandi, sed iudicare non potest, nisi à Principe ei assignetur populus, quem iudicet. *Coton. plurimos cumulat ubi ante lib. 2. Controv. septima per totam. Ego ipse de Poenit. Decis. 37. num. 7.**

4. *Quer.* An Parochus, vel Confessarius approbatus in Dioecesi Patavina possit absolvere Patavinum, si ambo reperiantur extra Dioecesin Patavinam? *Resp.* Affirmativè infra scripti DD. si uterque habeat domicilium in Dioecesi Patavina, & Confessarius non sit approbatus ad audiendas confessiones in aliquo loco particulari tantum. *Sanchez de Matrim. lib. 3. disp. 34. num. 2. Diana part. 3. tract. 4. resol. 144. Coton. d. lib. 2. Controv. 7. num. 16. & num. 76. Sed hodie respondendum est negativè; stante Bulla Clementis Papæ Decimi Incipien. Superna. Quæ est in Bullario tom. 6. Const. 7. quod à me notatum est de Poenit. d. Decis. 37. num. 20. & 21.*

4. *Quer.* An Monialibus possit dari Confessarius extraordinarius ultra tres vices per annum; & an dandus sit uni Moniali in particulari? *Resp.* Quod quamvis neget Gavantus in *Verb. Monialium cura spiritualis*, tamen affirmant ex Regularibus multis, quos allegat *Diana part. 6. tract. 8. resol. 28. & Coton. ubi ante num. 30. Tutius est dicere, id arbitrio Episcopi esse remittendum, qui in hoc summa prudentia debet procedere; nam quandoque malum erit denegare Confessarium particularem, aliquando malum erit illum concedere, ut experientia demonstrat, & differui de Poenit. Decis. 41.*

5. *Quer.*